UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput III. Divina Æternitas combinata cum successivis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-81382

Visual Library

quium captivandi intellectum, duas habet exceptiones. Prima est, quod hoc non sit de conceptu omnis prorsus Fidei, sed illius duntaxat, de qua scripturæ, ac PP. præcipuè agunt, nempè Fidei Christianæ Catholicæ. Secunda est, quod hæc difficultas *meritum*, & *obsequium* invenitur quoquè in assensu harum rerum evidentium, ut nuper dicebam.

XVIII. Hinc respondetur in forma ad argumentum scriptum num: 11. Major illa prout jacet in sensu universali est falsa, & probatio non est efficax, primo quia, ut exemplis humanis ac Divinis ostendi num: 14. repetitio ejusdem rei solet esse rationalis, & prudens, aut ratione emphasis majoris, aut ratione Melodiæ, aut ratione obedientiæ, aut ratione Religionis, ut ibi dicebam. Et ratio est, quam dabam, nimirum. Actionem non esse absolutè superfluitatis insimulandam ex eo, quod superflua sit ad unum, vel alterum finem, si utilis sit ad alium, rationabiliter expetibilem; Et hoc in præsenti. Quoniam licet assentire iterum, ac de novo rei per assensum fidei sit res superflua ad unum finem, videlicet ad noscendum, intentionalitérque possidendum rem, est tamen utile, ac necessarium ad alium finem rationabiliter expetibilem, scilicet ad præstandum obsequium intentionale Deo, assentiendo rei *propter illius etiam testimonium*, licet hoc non sit metaphysicè evidens; quandoquidem enim ille non æstimavit superfluum dicere de se *se esse*, *se esse sapientem*, *&c.* nec nos debemus æstimare rem superfluam, hoc idem credere propter ipsius verbum. Secundo, quia licet dictus assensus præsupponat rem jam notam, non præsupponit eam, ut notam *ex authoritate DEI dicentis illam* sed, ut notam *ex principiis naturalibus*: Sed hi duo modi noscendi res sunt valdè diversi, non tantum materialiter, & philosophicè verum etiam formaliter, ac Theologicè; Et assensus fidei est notio rei ex authoritate Dei illam dicentis. Ergo dictus assensus non præsupponit notam rem eo modo, quo per ipsum noscitur: Ergo illa non est mera repetitio. Videntur adversarii offendere ad hanc æquivocationem, quod assensus fidei nil aliud sit, quam intentionalis possessio, & certitudo sui objecti, cum meminisse debeant hoc esse prædicatum genericum illius; specificum autem, & characteristicum stare in eo, quod sit *proximè adæquatè propter authoritatem DEI objectum illud dicentis*. Hoc autem non præsupponitur ad assensum fidei, quem defendimus, & hoc non est res vana, aut superflua. Ad confirmationem dico. Assensum illum non esse subjectivè exercitè, ac in seipso, purè adæquatè propter motivum A, posse tamen esse signatè, atquè objectivè propter motivum A, purè adæquatè: Vide, quod dixi num: 16. de evidente credibilitate necessariò præsupponenda ad assensum fidei juxtà ordinariam providentiam, quin propterea desinat esse purè adæquatè propter authoritatem Dei assensus Fidei Theologicæ præsupponens illam credibilitatem.

CAPUT III.

Divina æternitas combinata cum successivis.

XIX. Nolo uti illa alia voce *duratio*, qua utitur P. Suarez, quia vox ea imaginationē inclinat in rem successivā temporaliter, quæ longè distare debet à Deo, & facilè est hominē corripi ab assueta imaginatione. Demùm combinationi creaturarum cum æternitate dabo caput sequens, duntaxat disputans modo combinationem hujus cum illis. Non fugit difficultas præsens velox Augustini ingenium, quod benè illam perspexit, quando scripsit. *Adhuc in præteritis, & futuris rerum motibus* (en quod dicitur tempus) *Cor eorum volitat, & adhuc vanum est. Quis tenebit illud, & figet illud, ut paululùm stet, & paululùm rapiat splendorem semper stantis æternitatis, & comparet cum temporibus nunquam stantibus, & videat esse incomparabilem?* Et rursus sub finem illius capitis. *Quis tenebit Cor hominis, ut stet, & videat, quomodo stans dictet futura, & præterita tempora, nec futura, nec præterita æternitas? numquid manus mea valet hoc? aut manus oris mei per loquelas agit tam grandem rem?* Porrò difficultates sunt tres hic. Alia explicare, & probare ipsam indivisibilitatem, ac simplicitatem semper stantis, & immobilis Æternitatis divinæ. Alia combinare ipsam cum creaturis, quæ omnes successivè sunt: & aliæ quidem per se essentialiter, ut sunt ipsæ durationes, sivè, quod idem est, ipsa tempora, & instantia intrinseca. Tertia denique combinare cum ipsa creaturas in tempore,

P. Suarez Lib. 2. de Attrib. c. 4.

Lib. 11. Confess. cap. 11.

& per

& per tempus existentes (licet omnis combinatio, sivè comparatio sit mutua; at non omnis fit eodem modo) id est per successivas indivisibiles durationes, sicut hujus cartæ & cujusvis alius continui quantitativi particulæ sunt innumeræ, successivæ, ac indivisibiles.

XX. Hæ difficultates nascuntur ex triplici radice, quæ excusationi possunt esse nobis pro aliquibus modis loquendi, & pro aliquibus distinctionibus, quibus utemur constricti materiâ ipsâ. Primâ, loquimur modo de Æternitate Divina, quæ est perfectio, sivè Attributum semper stans, invariatum, & fixum, incapax, ut subeat *in seipso* denominationes illas, quarum ab infantia sumus assueti in nobis ipsis, & in omnibus aliis creaturis, videlicet *fuisse, futurum esse. Heri. Quondam. Cras. Postea, &c.* Ergò loquentes de objecto, quòd omninò est extrà ordinem omnium aliorum nobis familiarium, ardua, & acclivis valdè evadit sermocinatio, & locutiones etiam extrà ordinem opus sunt. Secundâ, Loquimur etiam de tempore in hac materia, jam per verba illud consignificantia, jam per voculas illud, & non aliud significantes. v. g. *Hunc: Modò. Hodie. De præsenti. In hoc instanti, &c.* Tempus autem est adeò difficilè explicatu, ut acer Augustini mens Lib. 11. Confess. expendat in ejus explicatione 15. capita, & post ardenter imploratum lumen ibi cap. 22. pro ænigmatis enodatione, res satis difficilis manet; Ergo mirum non erit, si in re difficillima, difficiles aliquas proferamus enunciationes. Non enim debet exigi à nobis tantum, quantum ab Augustino. Tertiâ, aspiramus in hac materia ad aliqualem combinationem stantis, atquè invariabilis Æternitatis, cum tempore nunquam stante, sed majore velocitate, quam stellæ fixæ, transcurrente; Et hæc duo sunt invicem incomparabilia, ut numero antecedente ajebat Augustinus. Ecce tres radices præsentis difficultatis. Nè igitur expectes res facillimas, quando versamur in difficillimis.

XXI. Explicatur. Oculus corporeus, qui non posset videre, nisi per vitrum nigrum pateretur magnam difficultatem in discernendo colorem album, utpotè nigro oppositum, & nonnisi per reflexam cognitionem aliundè habitam agnosceret homo ille colorem, quem inspicit esse album (siquidem medium, per quod inspicit proponeret illum colorem ut nigrum) atque deberet habere semper infixam menti hanc reflexam cognitionem, nè raperetur in errorem ab illo vitro nigro, per quod inspicit colorem, qui in se ipso est albus. Hoc in præsenti. Imaginatio, & mens nostra, & consequenter lingua, magnam patitur difficultatem pro hoc statu in loquendo, & speculando Divinam Æternitatem. Quoniam ex una parte ea est simplex, indivisibilis, firma, permanens, & tota simul, ut jam dicam. Ex alia parte nec loqui, nec differere possumus de illa pro hoc statu, nisi per enunciationes affirmativas, aut negativas. Utræquè constant verbo. Hoc consignificat tempus. Hoc cum sit *numerus motuum secundum prius, & posterius* (numerus inquam, aut purè possibilis, si loquamur de tempore imaginario, aut verè existens modo suo, si de tempore reali) est essentialiter successivum, & transvolans. Est enim complexum resultans ex innumeris durationibus sibi invicem succedentibus quoad existendum, sicut hæc carta, & omne aliud continuum, est complexum resultans ex innumeris particulis invicem unitis, & sibi succedentibus quoad locum. Ergo pro hoc statu nec mente, nec verbis differere commodè possumus de Æternitate, nisi per medium, corripiens apprehensionem in rem essentialiter oppositam ipsi Æternitati, de qua verbis, ac mente differimus. Ecce casum videndi per vitrum nigrum colorem album. Ergò necesse est habere semper præsentem cognitionem reflexam aliundè acquisitam, de eo, quod Æternitas Divina non est realiter in se ipsa, prout sonant termini, quibus de illa differimus. Quoniam si reflexa illa cognitio non sit nobis permanenter præsens, præcipitabunt nos illi termini in pravam apprehensionem, ac postea in pravum judicium de Divina ipsa Æternitate, de qua loquimur, & triumphabit adversarius adjutus eorum terminorum improprietate. Nequè fidendum est illi aienti, se jam scire hoc, & in bono sensu loqui. Hæc enim pulchra verba generosè pronunciantur initio, sed paulatim pacti oblivisci solemus, & sonantibus verbis solitam suam significationem, illis corripimur. Quid ergo faciendum? non

Arist. 4. Phys. c. 12.

permittere ullam propositionem in hac materia (extrà eam major indulgentia esse potest) quin castigetur severè, atquè per vim distinctionum aptetur rei præsenti. Hanc eandem difficultatem notavi in Prologo Disput. 2. Philosoph. naturali, & in ferè tota ea Disputatione, quæ est de infinito, de quo loqui non possumus, nisi per terminos quorum assueti sumus ab infantia, qui omnes sunt de rebus finitis, & consequenter in ipso actu loquendi, ac disputandi obtrudunt menti nostræ speciem, ac imaginationem prorsus oppositam illi rei eidem, quam disputamus. En radicem detectam multarum captionum, quæ objici solent in utraque materia Æternitatis, atquè infinitatis, quam radicem nisi retundas per prædictam reflexam advertentiam, videlicet terminos, quibus disputamur, sensim sine sensu flectere imaginationem, & consequenter mentem in apprehensionem penitus oppositam rei ipsi, quæ disputatur, capieris ab adversario:

Serm. 3. de Nativit. XXII. *Abigatur tamen procul*, ut cum magno Leone loquar, *terrenarum caligo rationum* (phraseorum, seù verborum) *& ab illuminatæ fidei oculo mundanæ sapientiæ* (loquelæ) *fumus abscedat. Divina est enim authoritas, cui credimus, Divina est doctrina, quam sequimur*, non agnoscentes in Divina Æternitate quoad se ipsam, & secundum sua intrinseca inspectam, *heri*, & *cras*, *præteritum*, aut *futurum*, quæ talia sint respectu Dei: hoc est, non agnoscentes in Deo successionem temporalem; sed unicam, simplicissimam, stantem, & invariabilem existentiam, quia ei dixit, qui sciebat quid diceret. *Tu autem idem ipse es.* Et quamvis immediatè addat: *Anni tui non deficient.* Ubi vox *Anni* successionem temporalem innuit, hoc fuit morem gerere vulgari nostro modo loquendi, cui frequenter se accommodat scriptura, ut quando Deo attribuit manus, pedes, caput, canos, iram, pœnitentiam, &c. Audiatur Augustinus sic alloquens Deum. *Quoniam anni tui non deficient, anni tui hodiernus dies, & quam multi jam dies nostri, & parentum nostrorum per hodiernum diem transierunt, &c. tu autem idem ipse es, & omnia crastina, atque ultra omnia quæ hesterna, & retrò, hodiè facies, hodie fecisti.* Nota modo. *Quid ad me; si quis non intelligat? gaudeat, & ipse dicens, quid est hoc, &c.* Quod si dixeris animas nostras easdem esse, sicut etiam Angelos, tametsi successivè, atquè per tempus intrinsecum durent; Respondebo easdem semper esse quoad essentiam, quod commune est omnibus aliis rebus; item easdem esse quoad intrinsecam unionem *in ordine ad nos*, qui non percipimus intrinsecam illarum mutationem stantem in continua mutatione unionum intrinsecarum cum novis, & novis suis durationibus; item easdem esse quoad se *moraliter*, quia duratio immediatè succedens durationi A. v. g. cum sit ejusdem prorsus speciei, cujus est A, nihilo speciali mutat intrinsecè animas; cæterum, non esse easdem physicè, ac materialiter quoad unionem, omnem: quia cum duratio, seù tempus intrinsecum illarum consistat physicè in serie indivisibilium, & successivarum creationum intrinsecè unitarum ipsis animabus, quibus continuè producuntur à Deo (quoniam duratio, sivè conservatio est continuata productio, ut explicui in Phys. speculat. Disp. 4. n. 13, & seqq.) & cum hæ creationes singulis instantibus mutentur physicè, imo cum ipsæ sint illud quod vocatur instans, seù tempus intrinsecum, quippè non apparet aliud, in quo ponatur hoc: inde fit, quod animæ nostræ sunt in continua mutatione intrinseca quoad unionem aliquam quæ utiquè mutationis species repugnat Deo, ut jam dicam.

Psal. 101.

Lib. 1. Confess. cap. 6.

XXIII. Oportet ergò propter difficultatem ipsam, specialemquè naturam rei præsentis insinuatam rationibus scriptis, n. 20. & 21. uti quandoquè (sed non passim, ac temerè) uno, vel altero extraordinario modo loquendi; nequè id est novum & inauditum; quoniam idem solemus facere in materia Trinitatis sanctissimæ v.g. *Æternus Pater est alius, sed non aliud à Filio. Personæ Divinæ non sunt Omnipotentes, sed Omnipotens non sunt immensæ, sed immensus. Non sunt æternæ, sed æternus, &c.* Ubi grammatica universalis cedit fidei, & rationi Theologicæ; atquè negotium non multò minùs facit imaginationi, quod una forma, aut quasi forma absquè successione in se, & quoad se, sit ratio formalis coexistendi rebus, quæ quoad tempus, & quoad locum successivæ sunt (& consequenter sit æquivalenter multiplex quoad hoc, cum sit entitativè in se unica, & simplex) quam quod una simplex res identi-

tificetur cum rebus invicem distinctis, & consequenter sit in hoc sensu multiplex virtualiter, ergò nequè novum, nequè inauditum esse debet, si quandoquè ratione specialis difficultatis rei præsentis utimur in ea aliquo extraordinario modo loquendi.

XXIV. His, quæ viam complanant, præmissis. Dico 1. quamvis Deus quoad nos, id est secundum nostrum commune vocabularium, & secundum abstractivas species, quibus eum cognoscimus, *fuerit* heri v. g. & *futurus sit* cras: Attamen in se, & quoad se castigatequè loquendo, nequè *fuit*, nequè *futurus est*, sed *est* semper; quoniam à rebus successivè existentibus, & temporibus ipsis essentialiter successivis, coëxistit ratione attributi Æternitatis, quæ est unica, simplex indivisibilis, atquè semperstans, & nunquam variabilis. Probo primam partem tripartitæ conclusionis. Eo modo loqui solent scripturæ v.g. *Joannes. Quod fuit ab initio.* Item. *In principio erat Verbum.* Item. *Ab æterno ordinata sum.* Similiter loquitur Deo de futuro David, aut Asaph. *Tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Id est, tu eris, tu vives post mortuas gentes omnes. Et sic loquuntur frequenter scripturæ, sicut loquuntur etiam, ut dicebam nuper de Deo, ut habente cor, brachia sessionem, Canos, &c. nempè loquuntur secundum commune vocabularium hominum, ad quos (& non semper ad Angelos) loquebantur, relinquentes eis, quos Deus voluit, intelligentiam, & explicationem phraseon harum, ut nos ex illis discentes, quod aliàs non caperemus, fœdus, & commercium humanum fortius stringeretur ex hac parte: Undè utens scriptura eis modis loquendi, non inducit nos in errorem, quia simul providit explicationem illorum. Valet etiam Augustinianum illud. *Si ea tantum essent quæ facillmè intelliguntur, nec studiosè quæreretur, nec suaviter inveniretur veritas.* Cujus rei bonus est testis Augustinus ipse, qui in juventute clamans validè contrà Ecclesiam ob malè intellectas phrases multas scripturæ, audiens postea ab Ambrosio illarum explicationem, salubriter erubuit, & Ambrosium dilexit. Ratio autem illius partis primæ est. Ad explicandum existentiam hesternam v. g. rei alicujus, non habemus, nisi verba de præterito: & similiter ad explicandum existentiam crastinam, non habemus in nostro vocabulario nisi verba de futuro: Ergò loquens Deus in scripturis non tam cum Angelis, quam cum hominibus, & volens intelligi ab his in mensura per suam providentiam statuta circà sempiternam suam existentiam, sapienter utitur vocibus de præterito, ac de futuro ad eam exprimendam; quemadmodum si Aulicus disertissimus, imò si Rex ipse, dignaretur loqui cum homine Sylvestri, aut montano, & vellet aliquatenus intelligi ab hoc, parcens stylo Aulico, Montano, aut Sylvestri, uti deberet. Juxtà vulgarem igitur nostrum modum loquendi, & juxtà abstractivas species, quibus cognoscimus Æternitatem Dei instar rei percurrentis longissimam seriem successivarum durationum, Deus *fuit*, & Deus *erit*.

XXV. Probo secundam partem 1. ex Augustino, qui in Colloquio cum sancta sua Matre ajebat de Divina sapientia. *Quin potiùs fuisse, aut futurum esse non est in ea; sed esse solum, quoniam æterna est. Nam fuisse, & futurum esse non est æternum:* Idem dicendum de Deo, ejusquè Æternitate. Et posteà arguens nomine quorundam, ut certum tamen assumit hoc. *Si exortum est aliquid in DEI substantia, quod priùs non erat, non veraciter dicitur æterna illa substantia:* Atqui si Deus in se, & quoad se *fuisset* aut *futurus esset*, exoriretur aliquid in Dei substantia, quod prius non erat, nimirum successio, quam essentialiter imbibit *fuisse* & *futurum* esse (quæ successio, cum nequiret esse quid creatum, aliàs res creata fuisset ab æterno in hac etiam providentia & Deus existeret per formam creatam, quæ duo admitti non possunt, deberet esse intrà ipsum Deum) Ergo Deus in se, & quoad se, nequè *fuit*, nequè *erit* castigatè loquendo. Quarè meritò præfigit Augustinus illi capiti II. hunc titulum. *Æternitas DEI nescit tempora*; ubi scribit, quæ ex ipso transcripsi num. 19. Dices *fuisse*, & *futurum esse* dicunt unum positivum, nempè existentiam rei, alterum negativum, scilicet rem non existere nunc; Ergo quamvis de re existente nunc, verificari nequeat fuisse, aut futurum esse secundum negativum, possunt hæc verificari secundum positivum. Distinguo consequens, de re existente per successivas durationes, qualis est omnis creatura, concedo. De re exi-

1. Joan. cap. 1.
Prov. 8.
Psalm. 81.
S. Augustin. cap. 17. de ver. Relig:
Idem 6. Conf. c. 4.
Lib. 2. Conf. c. 10.
Lib. 11. cap. 11.

re existente per unicam simplicem, immobilem, & semper stantem Æternitatem nego. Quia *fuisse*, aut *futurum esse* semper dicit defectum, aut rei ipsius, aut alicujus suæ durationis præteritæ, aut futuræ: quia in hoc solo, & propter hoc solum stat quod creatura fuerit, aut futura sit, si enim nec creatura ipsa nec ulla sua duratio deficit, nequit dici illam *fuisse*, aut *futuram esse*. Ast est impossibile, quod detur defectus ullius durationis, quæ sit propria rei Æternæ ratione unius simplicis Æternitatis, & hoc modo est Deus Æternus: Ergò. Nequè objicias Joannem dicentem Apocalyps. 1. *Qui est, qui erat*; aut Paulum scribentem ad Hebræos 13. *JEsus Christus heri, & hodie*; nam si ambo loquuntur de Christo, quoad humanitatem, jam vides textus non esse contra me. Si quoad Divinitatem, loquuntur de illa secundum comunem modum loquendi, de quo egi num: antecedente, sicut etiam loquitur, qui dicit Deo Psalm. 101. *Anni tui*, & Psal. 76. *Annos æternos, montes æternos*: quod si durum tibi videatur Deum, castigatè loquendo, nec fuisse, nec futurum esse in se, & quoad se, præterquam quod jam audisti nuper Augustinum loquendo de sapientia Divina id negare de illa, & præter quamquod ista difficultas nascitur ex natura ipsa æternitatis, quæ incapax est successionum temporalium; præter ista inquam respondebo, Deum *fuisse*, ac *futurum esse*, in sensu tamen, quem dabo num. 29. interèa tamen sic loqui volo cum Augustino.

XXVI. Ratio Theologica pro hac secunda parte potest esse. Omne, quod ex sua quidditate habuerit ita esse in ipsis successionibus, & variationibus temporum, ut non sit ibi per successiones, & varietates, sed per perfectionem immunem ab omni varietate, & successione, ex sua habet quidditate, quod incapax sit, ut in se, & quoad se *fuerit*, aut *futurum sit*: Quoniam hæc duo manifestè dicunt successionem rei, de qua enunciantur, successio namquè in existendo, vel est ens rationis, vel consistit physicè ex parte rerum in eo, quod res, vel ipsius aliqua duratio prius quidem fuerit, & postea futura sit. At Deus ex sua quidditate habet ita esse quoad se, atquè in se in ipsis etiam successionibus & varietatibus temporum (quando hæ sunt) ut non sit ibi per successiones, & varietates, sed per attributum, ac perfectionem, id est per suam æternitatem, immunem ab omni varietate, ac successione. Probatur. Omne, quod ex sua quidditate habet esse (quoad se, ac in se) immune ab omni corruptibilitate, & mutabilitate ex sua quidditate habet ita esse (quoad se, & in se) in ipsis etiam successionibus creaturarum, quando hæ sunt, ut non sit ibi per successiones, sed per attributum, sivè per existentiam immunem ab omni varietate, ac successione: quippè hæ non habent locum, nisi in rebus, vel saltem durationibus mutabilibus, & corruptibilibus, hoc est simpliciter defectibilibus. At Deus ex sua quidditate habet ita esse (quoad se, & in se) in ipsis creaturarum successionibus, quando hæ dantur, ut non sit ibi per successiones, sed per existentiam immunem ab eis. 1. Quia ut suprà dicebam hæ successiones, vel sunt entitativè Divinæ; vel entitativè creatæ. Si primum, continuè deficiunt, & annihilantur, vel corrumpuntur res entitativè Divinæ. Si secundum Deus durat & existit per res entitativè creatas, & hæ sunt ab æterno, & ambo sunt absurda. 2. Quia Deus ex sua quidditate expers est omnis compositionis realis cum sit actus simplicissimus. At illam haberet in seipso, si in se, & quoad se existeret per successivam, & variabilem existentiã, nam continuè deficeret ipsi una sua duratio, & adveniret alia; Ergo. 3. Quia Deus ex sua quidditate habet fungi omni perfectione simpliciter simplici, cujus caracter est, quod sit melior ipsa, quam non ipsa; At esse in se, & quoad se (quid quid sit de nostro modo loquendi, de nostrisquè abstractivis speciebus) in ipsis etiam creaturarum successionibus per existentiam ab eis immunem, est perfectio simpliciter simplex. Constat ex Augustino ajente: *Cum autem verissimè atquè certissimè incorruptibile corruptibili præponatur, &c.* Et rursus ibidem. *Ut quid multa dicimus, cur non sit corruptibilis substantia, quæ DEUS est, quando si hoc esset, non esset DEUS.* Et loquens de potentia rationali, *cum sine ulla dubitatione clamaret, incommutabile præferendum esse mutabili.* Et sæpè alibi repetit hoc, ut rem evidentem, Ergo. Quod dicit S. Doctor de substantia Divina, dico de existentia, & æternitate. Nempè fore, ut si haberent in se

Lib. 7. Confess: cap. 4. Ibid. c. 17.

se ipsis successionem, & mutabilitatem, & consequenter corruptionem unarum particularum, quibus durarent, & novum, atquè novum aliarum adventum, existentia, & æternitas DEI non forent perfectio simpliciter simplex, quia non forent ipsæ meliores, quam non ipsæ. Quandoquidem forent mutabiles, & ratio naturalis clamat *incommutabile præferendum esse mutabili.*

XXVII. Hinc 1. Non nego DEUM, & suam æternitatem coëxistere omnibus successionibus temporalibus, quæ aliquando sunt: sed solùm nego coëxistere eis *per ipsius DEI successiones*, & mutationes, seù per tempus, quod sit tempus ipsius DEI. Et quia hæc propositio, *DEUS est in tali, aut tali tempore* v. g. *est hodie, fuit heri, erit cras*, solet rapere imaginationem, in id, quod DEUS sit in tempore, *per ipsum tempus*, sit hodiè per divinum aliquid, quod præcisè sit hodiernum, fuerit heri per divinum aliquid, quod præcisè sit hesternum, &c. hac de causa solet negari illa propositio, aut claritatis gratia distingui. DEUS est in tali aut tali tempore, per aliquod, quod sit *tempus DEI*, quod sit præcisè *heri DEI*, quod sit præcisè *hodiè DEI*, quod sit præcisè *cras DEI* nego. Per indivisibile, simplex, invariatum, & semper stans attributum æternitatis concedo. Sic DEUS est physicè præsens localiter in cunctis successivis locis, quæ sunt. Ast non est per successivas præsentias, ita ut detur præsentia Divina Romana in se ipsa, quæ non sit Madritana, & Madritana, quæ non sit in se ipsa Romana, sed per unicum simplex, & indivisum attributum immensitatis, & sic potest dici DEUM cognoscere futura in æternitate sumpto illo *in*, non utiquè objectivè, quasi æternitas sit medium objectivum, in quo DEUS agnoscit futura, sicut hæc solent dici, quod cognoscuntur *in sua causa*, sed sumpto subjectivè; quatenùs DEUS semper existens, non ratione attributi, quod sit successivum, quale est omne tempus, sed ratione attributi permanentis, indivisi, simplicis, ac semper stantis, & quasi centri immobilis respondentis plurimis lineis, quarum unæ sunt post, aliæ antè alias sic inquam semper existens cognoscit futura: sed de hoc posteà.

XXVIII. Hinc 2. Cum in re ipsa conveniamus facilè, & cum primaria difficultas sit in sola explicatione hujus rei, ne terminis irretiamur, oportet distinguere duos modos loquendi. Interdum loquimur in hac materia per propositiones constantes quibusdam voculis, quæ cum non aliud significent, quam tempus, aut particulas temporis, nequimus præscindere significatum earum à tempore, vel temporis particulis. Tales sunt hæ. *Modò. Nunc. In hoc instanti. Hodie. Heri, Cras. Quondam. Posteà*, & similes Propositiones enunciantes existentiam DEI cum aliqua ex his particulis (quas si præscindas à significatione temporis, restabunt significantes nil, quandoquidem non significant aliud, quam particulas temporis) sunt, quas dixi numero antecedente, solere negari, aut claritatis gratia distingui per terminos ibi datos. Interdum loquimur per propositiones enunciantes existentiam DEI solo verbo substantivo absquè istis particulis restringentibus; & hoc dupliciter, vel quia incipiunt à creaturis, ponentes, ut subjectum illas v. g. *Adamus, & ultimus nascituras homo sunt præsentes, nec non coëxistunt DEO, hujusquè Æternitati*, & de his loquar posteà; vel quia incipiunt à DEO, ponentes hunc, ut subjectum v. g. *Æternitas DEI fuit, est, erit, esset, &c.* De his dico. Cum verbum ex sua definitione habeat consignificare tempus, possumus præscindere in eis aut realiter, aut saltem mentaliter duo. Unum est *significatum* directum, & primarium verbi ipsius, quod in re præsenti est sola existentia DEI. Alterum est *consignificatum* verbi, quod consignificatum est tempus quandoquè præteritum, quandoquè præsens, quandoquè futurum.

XXIX. Igitur hæ propositiones sunt veræ. 1. Si verbum accipiatur secundum solum suum significatum directum, & primarium. Quia hoc est sola existentia DEI, & hæc verè enunciatur de DEO. 2. Si verbum accipiatur secundum solum suum consignificatum quod est tempus, aut temporis particula, ita tamen, ut nequè tempus nequè temporis ulla particula enuncietur de DEO, quasi hìc existat per attributum, sivè per rem, quæ sit successiva, sicut existimus nos: & quia hoc solet enunciari, quandò res dicitur existere in tempore extitisse, aut extitura esse nempè rem existere per formam successivam, hac de causa intelligendum est sub

expli-

explicatione data num: 27. Deum extitisse, aut extiturum esse. Prona quippe est mens humana ad apprehendendum hic, & nunc, nisi hic, & nunc: districtè, atquè expresè cohibeatur, id quod ab infantia, & in omnibus aliis rebus solita est apprehendere. Nequè sufficit, quod initio supponatur rectus terminorum sensus, quia calore disputationis facilè obliviscimur solemus suppositionum initio factarum, & termini hic, & nunc sonantes dominantur violentius apprehensioni, quam suppositiones initio factæ. Vide num. 21. sunt autem falsæ illæ propositiones, si verbum accipitur secundum suum consignificatum *tribuendo illud DEO*, quia licet hic coëxistat omni tempori, & omni creaturæ existenti in tempore, & per tempus, & licet interdum dicatur, quod existat in omni tempore, sicut etiam immensitas existit in omnibus locis inter se successivis; at non existit per tempus, id est per rem fluxam, sed per attributum semper stans, firmum, & invariabile, ut dicebam num: 27. Dices res existere successivè est existere heri, hodie, cras, hoc est in mensuris successivis, quia sic existimus nos successivè: sed Deus verè in se, & quoad se, existit heri, hodie, & cras, &c. ergò in se, & quoad se existit successivè. Distinguo majorem. Rem existere successivè successione extrinseca & materiali, id est, quæ propria est illius, in quo res existit concedo, & in hoc sensu Deus existit successivè, nempè in instantibus successivis, sicut etiam in locis, quæ inter se sunt successiva: successione intrinsecà, quæquè sit propria formæ, qua res existit, nego. Quia sicut ex successione locali non sequitur localis successio in forma, qua res est in loco, cum hæc possit esse indivisibilis: ita ex ista altera successione: & permissa minore, distinguo similiter consequens.

XXX. Probo jam tertiam partem conclusionis scriptæ num: 24. quæ firmat modo dicta explicando difficultatem, quæ est in eo, quod simplex, & indivisibile attributum Æternitatis coëxistat absquè successione sui rebus successivis. Deum ratione unicæ, simplicis, semper stantis, atquè invariabilis Æternitatis, coëxistere rebus, & temporibus successivis, est quid metaphysicè possibile. Tum quia in hoc non probatur absurdum ullum, ut mox exponere conabor. Tum propter authoritatem Augustini datam num: 25. Tum propter tres rationes Theologicas scriptas num: 26. Deindè hic modus coëxistendi rebus, & temporibus successivis magis commendat perfectionem divinam, cum sit perfectio simpliciter simplex. Ergo ille tenendus est: sed quomodo contingit hoc? Quatuor tibi propono exempla, in quibus tamen suppono te non aspirare ad exactam similitudinem, sed sola proportione aliqua contentum esse debere. 1. Tametsi loca tum intrinseca, tum extrinseca realia, (de spatiis imaginariis satis egi in Philos: Natur. Disput. 4. n. 168. & seqq.) hujus mundi sint inter se distantissima, & localiter successiva, alia ante, alia post, alia supra, alia infra, alia dextra, alia sinistra; verumtamen in omnibus illis est physicè, ac realiter præsens Deus absquè successione, aut distantia ulla locali in se, & quoad se; nempe quia non est in illis per successivas sui ipsius præsentias, sed per unicum simplex, ac indivisibile attributum *Immensitatis*. Quod de immensitate in ordine ad loca successiva, dico de æternitate in ordine ad successiva tempora & successivas alias creaturas. Videlicet Deum illis omnibus coëxistere absquè successione in se, & quoad se, quia non coëxistit illis per formam aliquam, quæ sit *successiva existentia DEI*, sed per simplicem, semper stantem, atquè immutabilem æternitatem. Unde si forsan dicimus aliquando Deum coëxtitisse diei hesterno, aut coëxtiturum crastino, absit, quod intelligatur *heri*, aut *cras* divina, quia in Deo non datur successio, ut authoritate, ac ratione probavi num. 25. & seqq. item absit quod intelligatur, Deum extitisse per *heri* creatum, aut extiturum per *cras* creatum, quia incapax est existendi per durationes creatas; sed intelligendum est, illum fuisse, & futurum esse per indivisibilem suam æternitatem, quam non possumus ob penuriam vocum explicare nisi utendo quandoquè vocibus de præterito, ac de futuro, agnoscentes tamen reflexè Deum, nec esse, nec posse esse præteritum, aut futurum: sicut cognoscentes Deum, & Angelos non esse corporeos ob penuriam tamen vocum, atquè ob species improprias, & abstractivas, quibus illos cognoscimus,

agnosci-

agnoscimus illos per modum corporis; similiter differo de immensitate, & de æternitate. Ratione illius est DEUS ubique, & ratione hujus est DEUS semper. Sed nequè ubiquitatem possumus explicare, nisi per nostra assueta *hic*, *ibi*, *alibi*; nec æternitatem, nisi per nostra assueta *heri*, *cras*, *&c.*

XXXI. Sed, quia posset aliquis dicere eandem esse difficultatem in Immensitate, atque in Æternitate, accipe secundum exemplum. Anima nostra est entitativè simplex, ac indivisibilis, ut probavi cum aliis Disp. 1. de Anima n. 21. & seqq. At qui est physicè, ac realiter in illo individuo loco, in quo est subjectum, quod reddit vivum, & cui physicè unitur, & cum quo intimè penetratur; reddit autem viva caput; brachia, manus, pedes, &c. & hæc omnia informat, & cum his omnibus physicè unitur, ac penetratur, quæ tamen omnia sunt in locis distinctis, & distantibus invicem, habentibúsquè inter se ordinem prioris, & posterioris quoad locum; Ergo anima ipsa nostra absquè successione locali in se, & quoad se, est simul in locis successivis, ac inter se distantibus: Quid ergò mirum, quod simplex, ac indivisa immensitas absque successione locali sui ipsius sit simul præsens temporibus mutuò successivis? Igitur quemadmodum anima nostra licet existat in capite, quod per aliquot palmos distat à pedibus, specificativè sumpta coëxistit quoad locum his, licet distet reduplicativè ut existens in capite, quippè sic reduplicat caput, quod utiquè distat à pedibus. Ita immensitas existens Romæ, quæ multis leucis distat à Madrito, specificativè sumpta coëxistit quoad locum Madrito quamvis reduplicativè, ut existens Romæ distet à Madrito, quippè hæc distantia non enunciatur tunc de immensitate, sed de complexo ex illa, & ex Roma. Et Æternitas licet coëxistens diei hodierno distanti temporaliter à primo, & ab ultimo homine, ipsa specificativè sumpta utriquè homini coëxistit, quamvis non reduplicativè ut coëxistens diei hodierno, quia tunc negatur ea coëxistentia, non de sempiternitate, sed de complexo ex illa, & ex die hodierno.

XXXII. Tertium exemplum. Considera duos polos mundi: quam diversæ, & successivæ quoad loca, & inter se distantes, imò, & mutuò oppositæ lineæ, atquè stellæ circumvolvuntur illis; & tamen illi immobiles, invariati, ac semper stantes, æquè respiciunt simul illas, & æqualem proportionem, ordinem, sivè habitudinem habent cum illis postquam transierunt nostrum hemisphærium, & quando nondum pervenerunt ad illud, ac quando in illo sunt nobis præsentes, tametsi eæ lineæ, ac stellæ mutent loca singulis momentis. Idem respectivè dico de centro volubilis rotæ, quod sanè eandem proportionem, habitudinemquè localem conservat in se, & quoad se cum radiis rotæ, sivè sint suprà, sive sint infrà, sivè in hoc, sivè in illo latere. Nempè quia centrum, & poli non sunt in eis locis per motum localem successivum, qui proprius sit, aut ipsorum, aut illarum linearum, vel radiorum. Quid ergò mirum, quod Deus instar centri, sivè poli omnium creaturarum, eandem (quoad se, & in se) proportionem, seù habitudinem habeat cum creaturis volubilibus quoad existentiam, quæ jam transierunt nostrum Emisphærium, id est jam non coëxistunt nobis, & cum illis, quæ nondum factæ sunt, id est nondum pervenerunt ad coëxistendum nobiscum: eandem inquam habitudinem, sivè proportionem existentialem, quam habet cum creaturis nobis coëxistentibus! certè ipse est Rex, de quo dicit Evangelium loquens de mortuis: *Omnes vivunt ei.* Nempe existit DEUS ratione immutabilis, ac semper stantis æternitatis, non verò ratione ullius motus temporalis, qui sit proprius Dei ipsius, aut suarum creaturarum. *Luc. 20.*

XXXIII. Quartum exemplum, quamvis rude etiam sicut priora habes modo ante oculos, estque simile ei, quo utitur S. Thomas (sphærâ utique æneâ, vel etiam papyraceâ sunt contenti Principes astronomiæ ad explicandum utcumque sphæras ipsas cœlestes) In hac papyro vides alias lineas post, & alias ante alias, & in singulis lineis alias litteras post, & alias ante alias. Tametsi lineæ ipsæ inter se atquè litteræ inter se habeant successionem localem, & consequenter una linea sit quoad locum præterita respectu alius, *1. p. q. 14. art. 13. ad 3.*

alius, & quoad locum futura respectu alius (idem de litteris) item quamvis hanc eandem localem præteritionem, & futuritionem haberent respectu tuæ visionis ocularis, si hæc esset admixta ipsis lineis, & litteris per successivas præsentias; verumtamen, quia illa stat invariata in pupilla oculi tui, & est immunis à successione præsentiarum intrà lineas, & litteras, quas intueris, hac de causa visio tua ocularis, neque respectu linearum, neque respectu litterarum habet localem successionem (quando immotos habet oculos) ita ut aliæ sint post, aliæ ante visionem tuam; quinimmo simul simultate subjectiva, & visionis ipsius, licet non simul simultate objectiva, & linearum ipsarum, aut litterarum, utrámque successionem intueris; quod de simultate visionis combinatæ cum successione locali, dico etiam de simultate divinæ æternitatis combinatæ cum successione existentiali. An verò simul habeat DEUS physicè præsentes omnes creaturas, quæ fuerunt, quæquè erunt, quæ simultas importare videtur actualem existentiam creaturarum dicam capite sequente. Quippe modo solùm contendo DEUM eodem prorsus modo, (quoad se, ac in se) coëxistere semper creaturis successivè existentibus, ac deficientibus, nec non temporibus ipsis essentialiter successivis. Quod exemplis his sufficienter explicatur, quemadmodum sphærâ æneâ, ut dicebam, explicari solet sphæra cœlestis.

CAPUT IV.

Successiva combinata cum æternitate.

XXXIV.

HÆc est altera combinatio, quam pollicitus sum num. 19. S. Thomas disputans, utrum scientia Dei sit futurorum contingentium, dixit in corpore illius articuli per modum corollarii, atquè in responsione ad 3. repetivit obiter, omnia quæ fiunt in tempore esse præsentia æternitati, & in hac cognoscere DEUM illa omnia; arripuit protinus Scotus hoc, & quatuor validis argumentis impugnavit. Cajetanus autem postquàm fassus est obscuritatem rei, & quod se per quindecim fortè annos latuerit mens S. Thomæ, & quod nullus ex sociis verbo, aut scripto illam aperuisset, accinxit se ad aperiendum illam. En radicem famosæ illius quæstionis. An futura contingentia sint Deo præsentia in æternitate, & an, in hac cognoscat DEUS creaturas? (& quidem sive aliquando existentes, sive merè possibiles, quia de utrisquè censeo idem, quamvis S. Thomas de solis aliquando existentibus loquatur ibi, quoniam de his solis ibi disputabat) origo hujus quæstionis est propositio obiter dicta à S. Doctore inter probandum & defendendum conclusionem principalem, videlicet DEUM habere scientiam futurorum contingentium. Sic ex parvis initiis magni amnes fluere solent. Quod attinet ad cognitionem creaturarum in æternitate, sive aliquando, sive nunquam extiturarum, jam dixi num: 27. quod verum reor: DEUS in æternitate cognoscit omnes prorsus creaturas, tam futuras, quam non futuras *in eitate* subjectiva, & se habente ex parte ipsius Dei: quatenus hic existens in æternitate, & per æternitatem indivisè respondentem omnibus successionibus temporalibus (sicut indivisum centrum respondet successivis, & reciproce adversis lineis à peripheria ductis, & sicut poli mundi indivisè, atque æqualiter respondent successivis, & invicem adversis circulis, ac stellis aliis præsentibus nostro hemispherio, aliis præteritis, aliis futuris respectu illius) cognoscit omnes omninò creaturas. Sicut etiam in cœlo, imo, & in hoc loco, ubi ego sum, cognoscit omnia, quæ fiunt in toto mundo; sed quemadmodum, neque in cœlo, nequè in hoc loco cognoscit omnes creaturas *ineitate* medii, quasi cœlum, vel hic locus essent medium ducens mentem divinam in cognitionem omnium creaturarum: nequè *ineitate* terminativa, quasi omnes creaturæ sint in ipso, & per ipsum cœlum, aut in hoc, & per hunc locum: neque ineitate inclusionis, quasi omnes creaturæ includantur in cœlo, vel in hoc loco, ut filii in utero antequam nascantur; ita non agnoscit DEUS creaturas in æternitate *ineitate* medii, aut *ineitate* terminativa: quoniam nequè æternitas est medium, in quo tanquam in causa, vel tanquam in fundamento connexionis, aut oppositionis vel tanquam in alio simili, agnoscat DEUS creaturas (quam rationem

Cajet. ibi.